

Andreas Daniel Habichhorst Johann Pelz

**Diatribē Philologico-Politica De Nimrodo, Monarcha Primo Primaeque
Monarchiae Conditor, Ex Genes. X. v. 8. 9. 10. & 11.**

Rostochii: Kilius, 1670

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730582337>

Druck Freier  Zugang



Ines. Habächhorst, Ands. Dan.
Resp. Teltz, Joh.

R. M. ~~1670~~^{phil.}. 1670.

18
DIATRIBE PHILOLOGICO-POLITICA
DE

NIMRODO, MONARCHA PRIMO

1132
Umschil
PRIMÆQUE MONARCHIÆ CONDITORE,
EX GENES. X. v. 8. 9. 10. & 11.

Quam

In Celeberr. Universit. Rostochiensis

בגבורת אדני אדני

Amplissimæ Facult. Philos. consensu

PRÆSIDE

M. ANDR. DANIELE
HABICHHORSTIO,

S. THEOL. CANDID.

Publico placidoq; συζητήσεων examini

IN AUDITORIO UNICORNIS

exponit

JOHANNES Wetz /

Stralsundo-Pom. Ph. & Th. Stud.

Ad d. XII. Novembr. Hor. matut.

AN. M. DC. LXX.



ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universit. Typogr.

DIABETES MELLITUS

INMIRABILIS

NOVA

TRACTATUS

DE

IN

DE

DE

M. A. J. J. J.


DE

DE

DE

DE

DE





כד



Quatuor dari summa mundi regna, quæ vulgo dicuntur *quatuor Monarchie*, ex *Colosso Nebucadnezaris* ap. Dan. c. 2. & ex *4. bestiis* ap. eundem c. 7. constare satis arbitramur. Egimus quoque de his nuper in disp. de *Colosso Nebucadnezaris*. Uti vero de illis quatuor monarchiis & præprimis tertia ac quarta inter ipsos non satis convenit Christianos: ita & de *autoribus* vel *Conditoribus* harum Monarchiarum & maxime *prima* controversia agitatur. Plurimi ex *Ctesia* autorē ejus, primumq; *Babyloniorum Regem*, quin *Ninive* urbis conditorem faciunt *Ninum*. Quidam vero *Nimrodum* statuunt primum, atq; ut facta cum profanis concilient, *Nimrodum* alio nomine *Ninū* fuisse dictum existimant. Ceterum de hac controversia, ut & de aliis rebus non nihili scituq; svavibus, in hac ipsa de *Nimrodo* Differtatione pluribus differendi Mose nobis facem prælucente, Deoq; Monarcha supremo adspirante, dabitur ansa. Est igitur

MEMBR. I, *sistens*
Nexum, item Nimrodi Majores
ac nomen.

§. I. Moses hactenus propositis *Japheti* primogeniti Noæ posteris, *Chami* cæperat describere filios sc. *Chusum*, *Mizraim*, *Puth* & *Canaan*. Illorum vero nominibus annotatis ad ejusdem progreditur nepotes, & quidem primo ad nepotes ejus ex filio *Chuso*. Inter illos verò *Chami* ex *Chuso* nepotes præcipuè *Nimrodum* nominat & per digressionem aliquam potentia & regni ejus mentionem habet prolixiorē. Neque id sine causa: Voluit enim hoc ipso Spiritus S. origines seu initia depingere politiarum & quidem autorem ostendere Monarchiæ *Babylonico-Assyriacæ*, sub qua in abductione X. tribuum sub *salmanassare*, & in deportatione *Babylonica*

A 2

nicà

nicâ sub Nebucadnezare multa experturi mala erant Israëlita. Inde & statim mentio terræ *Babel*, mentio terræ *Assur*. v. 10. & 11.

§. 2. Quod vero ipsum attinet *Nimrodi nomen*, originem illud suam debere videtur Radici *מר* i.e. *rebellavit*. Inde *Nimrod* idem esset quod *rebellis* vel *apostata*. Queritur vero, an etiam nominis omen habuerit *Nimrodus*, an *apostata* fuerit, *rebellis*, *Tyrannus*q; *crudelis*, adeoq; orbem habitabilem ad defectionem à vero Dei cultu & despectum *Numinis* sollicitaverit? Multi certè id affirmant & affirmationis argumentum quoq; ex nomine isthoc petunt: ita enim inter alios *B. Gerhardus* Tom. 6. *L. Th. de Magistratu* §. 48. *Quidam Nimrodi imperium laudari existimant, quasi Dei jussu instituerit certam politia formam, & honestas præscripserit leges; sed contrarium (vadet ipsum Nimrodi nomen. Ceterum de ipsa quæstione dispiciemus infra; nunc saltem ad argumentum à nomine Nimrodi desumptum respondemus, quod ex nominibus non firma ducantur argumenta: uti enim sæpe homines optimis blandisque insigniti nominibus pessimè agunt, e. c. filius Davidis appellabatur אבשלום Pater pacis, & tamen rebellis erat & belli parens: ita multi malis ac odiosis utuntur nominibus, & virtutis tamen sunt studiosissimi.*

MEMBR. II. exhibens

NIMRODI FOR TITUDINEM, POTENTIAM & VENATIONEM.

§. 1. Viso jam subjecto, prædicata quoque erunt evolvenda, quorum quinque in textu reperiuntur 1. *capit esse potens in terra*, 2. *potens venator coram Domino*. 3. *regnavit* 4. *egressus fuit* 5. *ædificavit*. Quod 1. attinet prædicatum, in fonte est vox *גבור*, quæ est à *R. גבר* valuit, robustus, validus, fortis fuit, LXX. ad molem corporis vocem referentes reddiderunt per *gigantem*. Ceterum Radix vocis talem præcisè versionem non imperat, quippe quæ tam ad animum & facultates, quam ad corporis robur respicit. Quamvis ergo corporis etiam mole ac robore forsitan eminuerit, ad animum tamen & potentiam præcipuè respectus habetur cum dicitur: *capit esse גבור*. Ad animum quidem quod fuerit fortis & magnanimus; ad potentiam vero quod dum magna animi fortitudine alios sibi servire fecit, iisdemq; dominatus fuit, magnus simul potentia, facultatibus, imperio & viribus, adeoque primus *Monarcha* evaserit, id quod & Para-

& phrasim לְהוֹרֹתָ לְהוֹרֹתָ LXX ἡξῆρα εἰναι, indigitat, ut incipere esse hic ponatur pro primum esse, vide Fessel, Advers. sacr. l. 4. c. 10.

§. 2. Petrus equidem Gregorius Tholosanus, libro 19. de Republ. cap. 1. §. 2. Adamum statuit primum fuisse in terris Regem vel Monarcham, quippe cui Deus animam indiderit rationalem, per quam omnibus dominari quiret viventibus, eumq; jusserit tum piscibus præesse maris, tum volatilibus cæli, tum animantibus terræ. Ceterum in tanta hominum paucitate locus esse Monarchiæ propriè dictæ haut potuit, adeoq; distinctionem inter imperium ποιητικόν & δεσποτικόν hic merito advocamus. Deinde & Josephus de antiq. l. 1. pro Caino hic militat, cum is primam dicatur ædificasse civitatem Gen. 4. 17. At vero nec hujus sententia contra nos obtinet: ad Monarchiam enim vel regnum non una sed plures requiruntur civitates. Relinquitur ergo Nimrodum fuisse primum Monarcham, id quod contextus satis arguit: neque vero etiam ante Nimrodum potentioris alicujus regni vestigium legitur.

§. 3. Hanc ejus fortitudinem & potentiam declarat Moses seq. versu his verbis: & fuit ipse potens venatione (i. e. potens vel fortis venator) coram Domino, idcirco dicitur: Sicut Nimrod Potens venatione coram Domino. Duo hic controvertuntur 1. vox נַיִץ venatio 2. voces לְהוֹרֹתָ לְפָנַי coram Domino. Quidam utrumq; in bonam partem & propriè, plurimi in malam partem & metaphoricè accipiunt, quodq; de venatione hic dicitur, id non de venatione ferarum, sed de venatione & oppressione hominum, de bello, de violenta urbium regnorumq; occupatione exponunt, adducto Jerem. loco c. 16. 16. ubi oppressores aliorum dicuntur venatores: emittam multos venatores &c. Ceterum, quod locus Jerem. non propriè sed metaph. de oppressoribus & bellatoribus sit accipiendus, id contextus faciliè evincit: in eodem enim versu dicitur: emittam multos piscatores, qui piscabuntur eos. Ut vero & h. l. venationem Nimrodi impropriè de oppressione hominum interpretemur, contextus non cogit, quicquid etiam aliis hic de contextu prætereundum placeat, quod sc. versu 8. præced. dicatur, cepit potens esse in terra, & v. seq. 10. principium regni ejus sunt Tabal. Quis enim nescit passim illos, qui seculari præeminent potentia, adeoq; fortes vel potentes sunt in terra uti Nimrod, plerumq; simul fortes esse fera-

rum venatione? Quid ergo mirum, si & hic utrumq; in Nimrodo conjungatur, adeoq; isthæc verba: & fuit potens venator, propriè de frequenti ferarum venatione interpretemur, ita tamen ut simul fortitudinem & robur Nimrodi iisdè declarari, magisq; insinuari arbitremur: In venatore enim ferarum maximè majorum robur & animus requiritur ingens, quo spumantes colluctantesq; beluas capere feliciter & sternere possit, maximè si plagas rumpant ipsumq; venatorem adoriantur. Dum ergo Nimrodus quoq; talem exercuit venationem, robur inde ejus & animus magis colligitur. Facit & nobiscum ex Ebræis *Aben Ezra* & verba propriè intelligit, quod Nimrodus feras fuerit venatus, esq; immolaverit ad placandum Dominum. Videntur & huc respexisse LXX vocantes eum *κυνηγόν*, qualis est, qui canes venatum ducit. Et si vel maximè τὸ *venari* hic explicandum per *bellare*; tamen illud factum est *coram Domino*, Domino dante, & fortunante, uti jamjam explicabitur, nec aliud inde colligi liceet, quàm Nimrodum primo omnium Despoticum imperium cum absoluta potestate & juribus Majestatis, supremo ita partim mundum puniente, partim Monarchiam vel Magistratum Monarchicum præparante usurpasse, inq; ipsis bestiis capiendis vires suas animi & corporis exeruisse.

§. 4. Quod attinet *πρὸς τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ κυρίου* *coram Domino*, notum est *לפני* propriè esse constr. plur. cum præf. lit. serv. ab absoluto *פני* q. d. *ad conspectum*, unde præpositionis naturam induens significat, *coram, ante*. Hunc *πρὸς τοὺς ὀφθαλμοὺς* multi sinistrè accipiunt, quasi ad detestationem Tyrannidis spectet, quod palam, excusso omni Dei timore, violentia & fraudibus alios oppresserit, quod tantam exercuerit tyrannidem, ut nec Dei conspectum fuerit reveritus. Quomodo & Gerhardus l. c. simplicissimè exponi locumputat. Quin *Josephus* l. 1. antiq. c. 1. addit, quod subditos ad despectum Numinis instigarit, ut, interprete Gerharo, sensus horum verborum *coram Domino* sit, quod non tantum politicam tyrannidem exercuerit, sed ad apostasiam quoq; & idololatriam homines sibi subiectos adegerit, ut lacrymæ & gemitus oppressorum ad conspectum DEI ascenderint. Pro qua sententia urget nomen Nimrodi, ad quod jam supra m. 1. fuit responsum: Urget in Locis Tom. 6. §. 11. locum.

cum Gen. 6. 10. ubi terra dicitur *corrupta* **האלהים לפני** *coram Domino*; ceterum quod l. c. illud coram Domino ad detestationem spectet, id contextus postulat; scilicet vox tam proxime præced. *corrupta erat*, quam proxime seqq. *& plena injuriâ s. rapinâ*. Hic vero voces **גבור** & **ציר** fortis & venatio quibus additur *coram Domino* in se nihil important mali, adeoq; locus ille nihil huic præjudicat. Quid? quod nec verba **יהוה לפני** *coram Domino* in se aliquid sinisteri habent: aliâs & creaturæ & prophetæ & sacerdotes, imo quilibet sanctum in Ecclesia triumphante tum militante, qui sunt, stant, agunt, ambulant, habitant **יהוה לפני** *coram Domino*, male agerent, conf. Es. 66. 22. 1. Sam. 2. 21. Dan. 6. 11. Gen. 17. 2. 1. Sam. 2. 30. Jerem. 15. 1. Esa. 23. 18. in quo posteriori loco dicitur: **יהוה לפני** *coram Domino*, edent & saturabuntur &c. Ex quibus certè omnibus patet creaturas, prophetas &c. quando agunt quæ agenda ipsis sunt inq; munere sunt prophetico & sacerdotali, esse **יהוה לפני** *coram Domino*, adeoq; phrasin ipsam potius laudabile quid inferre; quando vero non agunt & seipsos exuunt, tum dicuntur esse vel egredi **יהוה לפני** *de coram Domino*, quomodo Cain dicitur egressus & Jonas cum detrectaret munus propheticum dicitur fugisse **יהוה לפני** Jon. 1. Aliud ergo est fortem & potentem esse venatorem coram Domino, aliud exire & fugere *de coram Domino* vel *à facie Domini*, vel malum esse coram Domino. Adeoq; concludimus faciendum esse cum illis, qui illud *coram Domino* in bonam partem accipientes ita interpretantur, quod fuerit potens venator in conspectu Domini i. e. quod à Deo potentiam & regni gloriam acceperit, quod fortunante Deo, vel Dei instinctu certam instituerit politiam formam, præscripserit honestas leges, inq; officio continuerit homines ferociter ceteroqui sine lege vagantes. Inde Chrysoft. homil. 29. in Gen. *Coram Domino*, i. e. *à Domino constitutus, eo quod accepit ab illa aliquam divinam existimationem, vel quod Deum per hunc in admiratione habendus.*

§. 5. Ex dictis colligitur, quod uti omnis potestas Apostolo teste à Deo est, ita & Nimrodus majestatem & regni gloriam à Deo acceperit. Imo si Nebucadnezzari successori Nimrodi, qui lusculentissimo scripturæ testimonio impius fuit & Tyrannus, *concessum dicitur regnum & potentia à Deo* Dan, 2. 37. & 3. 18. quare non id de Nimrodo quoq;

quoque dicendum, qui fuit potens in terra & potens venator coram Domino? Quin imo si de Nebucadnezare dicitur, Jerem. 23. 6. 7. quod *Deus omnes terras dederit in manum ejus tanquam servi sui, quin ipsas quoque bestias terræ dederit ipsi ad serviendum* &c. conf. & c. 28. 14. quare non etiam de potentia & venatione Nimrodi id affirmandum, quod sc. in bestiarum quoque; sibi subjectarum venatione fortis exstens Deum habuerit approbantem, præsertim cum dicitur *potens venatione coram Domino*. Colligitur vero & illud ex his dictis, quod etiam infideles terræ Reges, qui vel instaurant regna, vel in quos transferuntur ista, specialiter sint coram Domino, Domino inquam supremo Rege, ipsorumque; Regum imperatore, ut agnoscant subinde illud Danielis ad Belthazarem c. 5. 21. *Deus altissimus potestatem habet super hominum regna eaque tribuit cui vult*.

S. 6. Frustra ergo sunt Anabaptistæ, qui inter alia ex h. l. demonstrare conantur, *Magistratum non esse bonam & sanctam Dei ordinationem*, atque ita argumentatur: *quicquid à violenta & injusta hominum oppressionem originem trahit, ac malo nititur principio, illud non potest esse à Deo constitutum; sed imperium Monarchicum à violenta* &c. uti ex Nimrodi historia constat: fuit enim rebellis & seditiosus, Domino minimè placens, quod arguit ipsum nomen &c. Ergo. Frustra quoque sunt Targumistæ & Rabbini, qui nescio quas rebelliones & intentiones apostaticas, quibus Deum coram facie ejus irritarit, Nimrodo ex præsentī loco tribuunt. Landamus vero Excellentiss. Scripturarum interpretem Dn. D. *Varenium*, qui, præmissis aliquot horum commentationibus, in Decadd. Mosaicis ita concludit: *Certus sum, plurima talia, quæ de Nimrodo dicuntur, ex textu probari non posse*.

S. 7. Et si vel maximè concederemus notari hic Tyrannidem Nimrodi, despotiæ ut plurimum comitem, & violentam hominum oppressionem, ab eaque originem traxisse imperium Monarchicum; ex eo tamen inferri non potest, quod vult *Bodinus* l. 1. de Rep. c. 6. quod *omnia imperia primum vi coaluerint*, multò minus id, quod voluit *Anabaptistæ*, quod *imperia à Deo non sint constituta adeoque tollenda & Magistratus omnis abolendus*: i. enim quod *Anabaptistas* attinet, distinguimus inter *potestatem & ejus abusum*, Tyrannis non est ipsa potestas sed ejus abusus; sequeretur ergo tantum in Nimrodo initium habuisse tyrann-

tyrannidem non ipsam potestatem, quippe qua originem divinæ debet ordinationi 2. Tyrannis spectatur vel ut *pæna* & sic à Deo vel ut *culpa* & sic non est à Deo. Quod vero ad *Bodini* spectat collectionem, fit ea perperam, à partic. sc. ad univèrsale: posito enim Monarchiam vel imperium Babylonico-Assyriacum à violenta capisse hominum oppressione; Inde vero non sequitur, quod omnia imperia vi coaluerint. Quam multi enim post Nimrodum potestatem administrarunt politicam, qui non per vim aut fraudem, sed per immediatam Dei vocationem, vel populi electionem ad imperium sunt eveci. Quae de re præclare inter multos alios differentem audiemus Justinum l. I. hist. *principio rerum gentium nationumq; imperium penes Reges erat, quos ad hujus majestatis fastigium non ambitio popularis sed spectata inter bonos moderatio provehebat.*

MEMBR. III. proponens

Nimrodi Regnum ejusq; initia,

§. 1. Delineatâ Nimrodi potentia & fortitudine, Moses quoque regni ejus initia describit his verbis: *Fuit principium regni ejus Babel & Arach & Acad & Chalne in terra Sinear.* Tria hic notanda 1. regnum 2. principium ejus 3. locus tum specialis tum generalis. Quod attinet vocem *מַמְלַכָּה* seu Regni, indicat Moses hac ipsa, potestatem Nimrodi jam descriptam, non fuisse patriam sed *Regiam*. Scilicet Nimrodus potentia & viribus instructus hominesq; ferociter sine lege vagantes in officio continens, despoticum imperium cum absoluta potestate & juribus Majestatis Deo ceu dictum fortunante usurpat, adeoq; primus in orbe Monarcha audit, voce *Monarchie* tam latè quàm strictè accepta.

§. 2. Vox *רִאשִׁית* seu principii argumento est, Nimrodum non angusto sed Augusto fuisse usum imperio, adeoq; post illa regni initia in Sinear, in aliis quoq; regnasse regionibus: Quid enim sibi vellet de principii regni Nimrodiani in terra Sinear habere mentionem, nisi & postea Nimrodum regnasse alibi & ampliori fuisse usum regno subintelligeretur? id quod & seq. confirmant verba, quibus dicitur *egressus ex Sinear in terram Assur, ibiq; condidisse Niniven* &c. de quibus paulo post pluribus.

§. 3. Locus ubi primò regnavit & quidem *generalis* fuit terra *Sinear*. Quænam vero isthac fuerit, obscurum esse non potest, cum expresse

B

hic

hic dicatur, urbē Babylonē fuisse in ea sitā, quod & confirmatur seq. c. 10. v. 2. 4. 9. Terra v. in qua Babylon sita, est Chaldaea unde & regnū Nimrodi & prima Monarchia dicitur *Chaldaica* à regione, aut à metropoli ejus appellatur *Babylonica*. Inter specialia vero loca eminet *Babel*, quod derivant à R. *בלבבל* confudit, ut sic dicatur à confusione linguarum Gen. 11. 8. 9. Quæritur quis condiderit *Babylonem*? Justinus l. 1. hæc inquit (de Semiramide loquitur) *Babyloniam condidit murumq; urbi cœlo lateve circumdedit.* Cum quo faciunt *Diodorus* l. 2. *Strabo* l. 16. *Solinus* c. 56. *Herodotus* in calce lib. 3. quasdam portas Babylonis vocat *Σεμιαμι* & *Πύλας*, alias *Νινίων*. Nos ex sacris & aliunde (conf. m. 5 §. 2) scimus Babylonem ante Nini & Semiramidis ætatem fuisse conditam, non diu sc. post cataclysmum; Ninum vero & Semir. exornasse & communivisse urbem credimus.

MEMBR. IV. exponens
Nimrodi egressum & regni ejus
augmentum.

§. 1. Usus vero istis regni initiis de augmento ejus cogitavit. Hinc addit Moses מן הארץ ההוא יצא נשור quæ verba Tremellius reddit: *ex terra hac processit in Assyriam*, quomodo & duo Targumim habent מן הארעא הדין נפק התורה Vulg. verò habet: *de terra illa egressus est Assur*, quem sequitur Luth. von dem Lande ist hernach kommen der Assur. Quatuor hic notanda 1. *terminus à quo*, 2. *quòs egressus fuerit* 3. *terminus ad què* 4. *qualis egressus*. De termino à quo s. terra ex qua migravit aliquis, qui Niniven condidit, ex præced. membr. 3. §. 3. jam constat. Quæritur autè *quòs* ille fuerit, qui egressus hic dicitur? Vulgato & aliis videtur fuisse *Assur* quidam: vertunt enim: *de terra illa egressus est Assur*. Alii v. Nimrodù fuisse docent: adeoq; nunc simul quæritur, an vox *Assur* sit *subiectum* propositionis *nomensq; persona propriū*, an vero pars *prædicati*, significans egressus vel migrationis *locum* vel *terminum ad quem*? Nos in disput. quadam nuper proposita festinantes affirmavimus priò, tū inducti absentia *א* ה localis vel *א* נ similisq; particulae motum ad locum significantis, tum imitati non infimi comitatis viros, quorum quidam per *Assurem* intelligunt *Semi* filium, alii *Ninum* qui dicatur *Assur*, quod primus fuerit *Monarcha Assyriorum*.
Nunc

Nunc ubi dies diē docuit, nobisq; locum illum curatius pensitandi facta est copia, posteriori sententiæ ad stipulabimur, adeoq; vocem *Assur*, (quæ quidem frequenter nomen notat proprium, quomodo & hoc ipso cap. X. v. 22. quidam filiorum Semi sic dicitur,) ostendemus, h. l. non nisi locum notare vel regionem & eam quidem, quæ ab *Assure* quodam primo sui occupatore fuit denominata, quemadmodum & aliæ regiones in sacris à suis denominantur occupatoribus e. c. *Ægyptus* à filio Cham *Mizraim* dicitur *Mizraim*, alia quædam regio à filio Chami *Canaane* dicitur *Canaan* conf. v. 6. capitis hujus X. Geneseos.

§. 2. Principio autem obtinendum illud est, quod verba Mo-
 fis commodissimè sic accipiantur, ut Nimrodus è regione *Sinear* egressus dicatur. Quo obtento statim consequitur, eum qui egressus hic fertur non esse *Assurem* quendam nec vocem *Assur* hic personam indicare, sed regionem in quam is, qui egressus dicitur è *Sinear*, de-
 hinc concessit. Ut vero illud obtineamus repetenda sunt proxime præced. Ex eo enim quod præced. versu Moyses dixerat, *principium regni Nimrodi fuisse in regione Sinear*, facile colligitur, Nimrodum deinceps, post illa sc. principia fuisse aliis quoq; dominatum terris, pluresq; acquirendo ditiones suum ampliassè regnum. Cum igitur immèdiatè statim subjicitur: *de terra illa Sinear*, (in qua principium regni fuit Nimrodiani) *egressum esse quendam & urbes condidisse*, id ad alium referri commodius non potest, quam ad illum de quo in præced. versu fuerat sermo sc. de Nimrodo. Et quæso quid referret principium regni Nimrodiani in terra *Sinear* memorare, nisi & deinceps eundem Nimrodum alibi regnasse regnumq; ampliassè subintelligeretur? Quod si vero id subintelligendum conceditur, quid tum est convenientius commodiusq;, quam per illum, qui ex terra ista, in qua principium regni fuit Nimrodiani, egressus memoratur, intelligere ipsum Nimrodum?

§. 3. Nunc autem ostenso, commodissimè hic intelligi Nimrodum è terra *Sinear* egressum ad amplificandos regni terminos, ostendendum quoq; est, tò *Assur* hic commodissimè accipi pro loco ad quem egressus Nimrodus. Ut vero & hoc obtineamus, considerari bene iterum volumus antecedd. & consequ. Scilicet propositum Moysi hoc capite X. fuit, *genealogias filiorum Noachi ordine & distinctè enarrare*, uti ex *ὀνομασία* contextus apparet. Jam vero Mo-

tes h.l. adhuc versatur in genealogia *Chami*, continuaturus sermonem, quem de Nimrodo per digressionem aliquam præ aliis *Chami* filii *Chamiq;* nepotibus instituerat: nam post imperii Nimrodi filii *Chusi* descriptionem, enarrat quoq; reliquorum *Chami* filiorum, *Mizraimi* sc. & *Canaanis* posteritatem v. 13. 14. 15. & seqq. Si vero *Assurem* hic v. 11. statim post Nimrodum *Chami* nepotem descripsisset, genealogias utique confudisset: *Assur* enim pertinet ad *Semi* genealogiam: conf. infr. v. 22. Et quæso edisseratur, cujus hic *Assur* filius si non *Semi* fuerit? Neq; vero ulla apparet causa, cur *Assuris* filii *Semi* res gestas h. l. post Nimrodum *Chami* nepotem ante reliquos *Chami* filios describere, adeoq; genealogias commiscere voluerit. Quid quod *Nineve*, quæ versu hoc controverso dicitur ædificata, metropolis fuit terræ *Assur*: vero igitur similitimum, vocem *Assur* regionis esse nomen, in qua *Ninive* sita, in quam *Nimrodus* migravit tanquam agro *Babylonico* vicinam.

§. 4. Posthac verò non nulla etiam removenda sunt *obstacula*: Præcipuum quod nobis hic objicitur, quodq; nuper nobis imposuit absentia est אשור localis vel similis particulae sc. præmittendæ אשור sc. affigendæ, quod sc. *Moses* hic non dixerit אשור ver אשור. Dicimus ergo in scripturis non esse insolens, particulas motum ad locum significantes omitti & subintelligi e. c. *Deut.* 28. 68. & reducet te Dominus מצרים (in) *Ægyptum*. 1. *Reg.* 3. 5. ויבנה ירושלים & venit *Hierosolymam* 1. *Reg.* II, 39. מצרים & fugit (in) *Mizraim* sc. *Ægyptum* 1. *Reg.* 19. 3. באר שבע & venit *Beersebam*. Ex quibus apparet, vocibus מצרים, ירושלים & באר regiones & urbes significantibus, non additas esse particulas motum ad locum notantes, sc. אשור locale sc. simile, adeoq; necessario heic esse subaudiendas. Si ergo alibi, quid obstat quo minus & h. l. dum cetera se bene habent, subintelligatur illud אשור vel particula similis. Quod autem vox אשור non tantum *Viri* sit nomen sed & regionis quæ ab *Assure* quodam *Semi* filio fuerit denominata, jam in præced. §. fuit dictum, conf. insuper *Mich.* 5. 5. ubi illa vox notat *Assyrios* & v. 6. ubi eadem notat regionem *Assyriam*. Nihil ergo prohibet, quo minus verba *Mosis* ita vertamus: De terra ista (Sinear, sc. *Chaldaea*) (Nimrodus) egressus est in *Assyriam* ibiq; condidit *Nineven*.

§. 5. Ex iis verò quæ diximus conlequitur, *Nimrodum* non tantum,

tantum regnasse in Chaldaea ejusq; metropoli Babel, sed & in Assyria, adeoq; terram quoq; Assur ab eo fuisse occupatam, quae ipsa annon propterea dicatur *terra Nimrod* ap. Mich. c. 5. 6. benevolo lectori committimus judicandum: ita enim Propheta ait: *Et pascent terram Assur gladio & terram Nimrod ensibus suis.* Sed dices *terra Nimrod* distinguitur hic à *terra Assur*. Resp. non magis distinguitur, quam in Ps. 105. 23. *terra Cham* ab *Aegypto* & *Jacob* ab *Israele*, cum dicitur: *Israel proficisceretur in Mizraim & Jacob fiebat incola terra Cham.* Scilicet uti l. c. non tantum una eademq; regio sed & unus idemq; vir, qui dicitur factus incola Aegypti, duplici insignitur nomine sc. Aegyptus & terra Cham, Jacob & Israel: ita & ap. Micham terra, cujus princeps Israelitas tempore Michae affligebat, duplici nomine appellatur, terra sc. Assur & terra Nimrod. Uti etiam Aegyptus l. c. primo dicitur *Mizraim* nomine notiori à filio Cham, deinde verò nomine non adeo vulgato *terra Cham* à patre Mizraimi, quem cum filio Mizraimo confedissee in Aegypto ex hoc & aliis locis colligitur: Ita & ap. Micham terra hostium Israelis primo nomine satis noto & usitato vocatur *terra Assur*; deinde nomine non adeo vulgato dicitur *terra Nimrodi*, idq; non aliam ob causam, quam quod Nimrodus in illam terram Assur migravit eamq; occupavit. Qui pluribus id quod diximus de duplici nomine illustrari, cupit exemplis, adeat Ps. 78. 5. & Ps. 106. 21. Quiq; forsitan de nomine Cham dubitat, an etiam illo designetur Aegyptus in Ps. citato, is Hieronymum conferat, qui in tradit. Hebr. in Genesin ait: *Aegyptus hodiernum Aegyptiorum lingua Ham dicitur.*

§. 6. Ex his verò & illud collectu est proclive, Monarchiam primam jam inde à principio, regnante sc. Nimrodo fuisse dicendam *Babylonico-Assyriacam*, quia Nimrod autor & conditor ejus non tantum in *Babel* sed & in *Assur*, uti jam fuit ostensum, rerum est potitus. Videntur ergo illa concidere omnia, quae de duplici hujus Monarchiae conditore Nimrodo & Assure, unde sit dicta *Babylonico-Assyriaca*, circumferuntur & à nobismet ipsis pluribus tunc intentis festina manu ex aliis fuerunt nuper enarrata.

§. 7. Egressum deniq; ipsum quod attinet, quaeritur an fuerit talis, qualis describitur ap. Mich. 5. 2. Job. 1. v. 25. Gen. 35. 11. ubi egredi significat nasci? An verò fuerit egressus ad bellum vel novas sedes & amplificationem regni quaerendam, quomodo egredi in scriptura significat expeditionem suscipere vid. Jud. 2. 15. c. 11. 3. 2. Sam. 11. 1.

Priori acceptioni, quæ ridet Vulg. & aliis, repugnat interpretatio jamjam in præcedd. data & confirmata: qualis enim esset sensus: ex terra illa ortus Nimrod in Assyriam? posteriorem verò lubens patitur, imo requirit.

MEMBR. V. *annectens*

Urbes à Nimrodo conditas.

§. 1. Inter urbes verò quas Nimrod ædificavit, cum ex terra Sinear migrasset in Assyriam, caput erigit *Nineve*, de cujus conditore potissimum controvertitur. *Strabo* hunc vocant *Ninum*, quem etiam plurimi Ctesiam secuti primum Assyriæ Regem fecerunt. Sed obstat h. l. *Moses*, ex quo jam ostensum est Nimrodum fuisse primum Babyloniorum & Assyriorum Regem urbisq; Ninive conditorem. Unde quidam docti ætatis nostræ viri, conciliaturi profanos cum sacris Nimrodum putant alio nomine dictum fuisse Ninum, ab alteroq; hoc suo nomine urbem, quam in Assyria condidit, appellasse Ninum conjiciunt. Nos Ctesia, ex quo alii id hanferunt, non adeò magnam habemus fidem, qui ex *Herodoto* novimus, *Semiramidem* quinq; tantum ætatibus fuisse priorem *Nitocre* Babyloniorum Regina, *Cyaxaris* Medorum Regis *συγγρόω*, atq; ita *Nini* & *Semiramidis* ætatem non longo intervallo tempora *Phulis* Regis Assyriæ & *Menaben* Regis Israel, quorum fit mentio 2. Reg. 15. 19. antecessisse colligimus, adeoq; nec illis, qui binominem faciunt Nimrodum & ab altero ejus nomine *Nineven* esse dictam volunt ad stipulamur.

§. 2. Reliquarum v. urbium nomina se habent ita: *Rechoboth*, *Calach*, *Resen*. De prima voce *רחבת* controversia est, an hic sit proprium nomen, an appellativum? vox enim *רחבת* aliàs notat plateas & quidem proprie *latas* à sing. *רחב* & à R. *רחב* dilatari. Nos Resp. esse proprium nomen: hinc in fonte additur vox *עיר* urbs, ut sc. intelligeretur non esse nomen appellativum nec vertendum plateas. Alii tamen, quos inter vulg. h. fm. reddunt: Et ædificavit *Nineven* & plateas civitatis: adeoq; *Niniven* & *Rechoboth* non duas volunt esse urbes sed unam. Ceterum non videmus, quid *Mosen* ex eorū sententia moverit platearū civitatis *Nineve* peculiarè facere mentionē. Nos ex aliis locis novim⁹ vocē hanc pro nomine adhiberi proprio e. c. Gen. 36. 37. memoratur urbs *רחבת רחבת* *Rechoboth fluminis*, Luth. *Rechoboth am Wasser* quæ ita dicitur ad differentiam alterius, cui & ipsi nominis hoc

ais hoc fuerit inditum: sic Gen. 26, 22. est nomen proprium *fontis*. Cur ergo
h. l. nomen esse peculiaris civitatis negemus? in versione Germ. v. II. quatuor
civitates numerantur sc. Ninive und Rehoboth / Jr und Calah / adeoq;
non tantum Rehoboth sed ריי pro nomine proprio accipitur. Nobis v.
rò ריי videtur appellativè accipiendum ob rationem paulò ante citatam. Et
confirmamur accentuatione: vox enim præcedens רחבה habet accen-
tum servum s. conjunctivum, qui Rehoboth conjungit cum ריי &
docet ריי non esse peculiarem civitatem sed appellativū
ita reddendum: & Rehoboth urbem.

Optime dum PELZI de Venatoris iniquo
NIMRODI regno publica verba paras.
Non minimas inter doctos venabere laudes;
Aspirent Vobis fata benigna tuis!

ENOCHUS SVANTENIUS, Theol. D. &
Prof. Publ. ad D. Jac. Ecclesiastes.

Ad Præstantissimum Juvenem

DN. JOH. PELZI / Th. Stud. eximium,
Auditorem meum singulariter dilectum.

I.

Signa novenarum sequitur pars multa sororum,

Sed pauci capiunt quæ sacra turba cupit.

Cur ita? Sunt multi lapides & pondera terræ,

Qui non ingenio judiciove valent.

Inde latent, non audentes prodire tenebris,

Inde canunt Musis, sed sine voce, suis.

Tu latebras, ô Amice! fugis Musisq; probaris,

Cur? Tu † non lapsus es, sed nec haberis † eis.

Hinc Musæ rogitant gratantes: anne * politus

Est * u, certamen qui modò fortis inicit.

NIMRODUMq; docet fortem primumq; Monarcham?

Respondentq; simul: imo politus u est,

Votaq; subnectunt, quibus & mea jungo: SUPREMUS

Te regat ut patriæ sis decus atq; Patris!

† Anagr. Joannes Pelzius

* Anagr. Joannes Pelzius.

Z utrobiqu; pro more in rs resolute

II. 157 am

WAn kennee bald den Sinn / der nach dem Himmel strebet
 Nicht an der Erden kreucht / nicht an der Erden klebet /
 Ein solcher tritt bald auff / und sparet keinen Fleiß /
 Er waget einen Kampff der ihm fort bringe Preiß.
 Herr PELLE wil auch sein gerechnet zu den Sinnen/
 Die mit gefeurter Luft was lobens wehrt beginnen/
 Drum fodert er zum Streite die Musen-Brüder auff/
 Und zieret hie also mit Tugend seinen Lauff.
 Wir wünschen / daß er mag noch grösser Lust gewinnen
 Zu lauffen diese Bahn / die ihn hin auff die Zinnen
 Der Ehren führt / daß Er sei seines Vatern Stab/
 Und seiner Freunde Trost bis in das finstre Grab.

Aus sonderer Gewogenheit schriebs in Eil
 M. Andr. Daniel Habichhorst.

Recht so / Herr PELLE / man sieh't / wie Ihr von NYRRODS wesen /
 Des ersten Herschers Macht / studieret und gelesen /
 Fahret fort / und jaget freisch auff Kunst und Tugend los /
 Daß / wie der NYRROD war / auch Ihr bald werdet groß.
 CASPARUS Jellinghausen / Westphalus.

SD. untersteht Er sich Parnassum zuersteigen /
 Und gegenwertig uns Nimrodum für zu zeigen /
 Wie Er durch sein Besetz / durch ritterliche Pracht /
 Das Pöbel Volck beredt / daß ihm gegeben Macht;
 Und daß Er auch ein Herr der Welt ist aus geruffen!
 Gott gebe Glück dazu / daß Er die höchsten Stuffen
 Der Weißheit noch erlang' / Auff daß Er eine Zier
 Des Vater Landes sey. Das wünsch Ich mit Begier.
 Johannes Müller / Hamb. S. Theol. Stud.

Quis fuerit, primus qui Rex ab origine mundi
 Audierit, monstras, gratulor inde tibi.
 Non curas momos, video; sed publica scandis
 Pulpita, &, ingenium sit tibi quale, doces.
 Laudo conatum; sic pergere perge, laborum
 Divinum Numen præmia digna dabit.

Johannes Kunß / Gryph. Pom. Phil. Stud.

os (o) os

tantum regnasse in Chaldaea ejus
 ria, adeoq; terram quoq; Assur
 annon propterea dicatur terra N
 ctori committimus judicandum.
 terram Assur gladio & terram Nimrod
 distinguitur hic à terra Assur. Re
 Pf. 105. 23. terra Cham ab Ægypto &
 proficiscebatur in Mizraim & Jacob f
 l. c. non tantum una eademq; reg
 tur factus incola Ægypti, duplici in
 ra Cham, Jacob & Israel: ita &
 ceptus Israelitas tempore Michæ affl
 terra sc. Assur & terra Nimrod.
 citur Mizraim nomine notiori à fili
 adeo vulgato terra Cham à patre M
 confedisse in Ægypto ex hoc & alii
 terra hostium Israelis primo nomi
 ra Assur; deinde nomine non adeo
 non aliam ob causam, quam quo
 migravit eamq; occupavit. Qui
 ci nomine illustrari cupit exemplis
 forsan de nomine Cham dubitat,
 in Pf. citato, is Hieronymum co
 nesin ait: *Ægyptus hodiernum Ægypti*

§. 6. Ex his verò & illud c
 primam jam inde à principio, reg
 Babylonica-Assyriacam, quia Nimrod
 in Babel sed & in Assur, uti jam fu
 dentur ergo illa concidere omnia
 conditore Nimrodo & Assure, un
 cumferuntur & à nobismet ipsis pl
 aliis fuerunt nuper enarrata.

§. 7. Egressum deniq; ipsur
 talis, qualis describitur ap. Mich.
 di significat nasci? An verò fuerit
 & amplificationem regni quærend
 significat expeditionem suscipere

B

Babel, sed & in Assy-
 cupatam, quæ ipsa
 . c. s. 6. benevolo le-
 pheta ait: *Et pascent*
 sed dices terra Nimrod
 distinguitur, quam in
 e, cum dicitur: *Israel*
 e Cham. Scilicet uti
 idemq; vir, qui dici-
 e sc. Ægyptus & ter-
 terra, cujus prin-
 nomine appellatur,
 gyptus l. c. primo di-
 de verò nomine non
 cum filio Mizraimo
 ar; Ita & ap. Micham
 usitato vocatur *ter-*
 rra Nimrodi, idq;
 illam terram Assur
 od diximus de dupli-
 & Pf. 106. 21. Quiq;
 designetur Ægyptus
 tradit. Hebr. in Ge-
 u dicitur.

live, Monarchiam,
 modo fuisse dicendam
 itor ejus non tantum
 rum est potitus. Vi-
 ci hujus Monarchiæ
 ylonico-Assyriaca, cir-
 entis festina manu ex

, quæritur an fuerit
 Gen. 35. 11. ubi egre-
 llum vel novas sedes
 egredi in scriptura
 . c. 11, 3, 2. Sam. 11. 1.
 Priori

